



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XIV. Permittitur subdiacono cuidam contrahere matrimonium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

vitando, quod in simul maneant sustinere: ita tamen quod ad altaris ministerium non accedant, nec ecclesiastica beneficia percipiant. Verumtamen si tales * aliqui ecclesiarum personas gerunt, aut ecclesias, aut uxores prorsus dimittere sunt cogendi.

CAP. XIV.

Idem decano & canonicis Lincolnensibus vel Lemouicensibus.

Cum institisset apud nos lator presentium H. parochianus vester, ut de ordine subdiaconatus, ad quem recipiendum * minus enormiter & inordinate se ingesserat, cum eo misericorditer ageremus, ne potuisset, sicut nec debuerat, in parte proficere: tandem tamen a nobis licentiam postulavit, ut posset sibi aliquam in matrimonio copulare. Nos itaque studiosius attendentes, quomodo predictus ordo cum nullam sibi dignitatem attulerit vel honorem, matrimonium eius non impedit, discretioni vestrae, &c. quatenus si matrimonium legitime duxerit contrahendum, nullus vestrum eum a contracto matrimonio predicti ordinis obtentu prohibere presumat, nec sibi propter hoc molestiam inferat vel grauamen.

CAP. XV. *Idem VVigornensi episcopo.*

Ex parte prioris & fratrum de VVellebec nobis innotuit, quod C. presbyter, qui habet vicariam in ecclesia ipsorum de Hortun, publice concubinam tenet, & sicut laicus quilibet tabernas frequentare non erubescit. Sed quia indecens & rationi contrarium est, ut ii qui altario seruiunt, feminarum amatores sint, cum eos sobrios & castos esse oporteat: fraternitati tuae, &c. quatenus rei veritate diligenter inquisita & cognita, si eum talem inuenieris, qualis esse describitur, ipsum ab eadem ecclesia, occasione & appellatione cessante amoveas.